







In Funere  
*Summi & Excellentissimi Viri,*  
**DOMINI  
FRIED. ADOLPH.**

ab

**HAUGWITZ,**

*Domini in Ober- und Nieder-Bischdorf*

Trium Serenissimorum Principum Electorum  
quondam Supremi aulae Mareschalli, in sanctiore Senatu  
Confiliarii, Confilii Bellici Praesidis & Aerarii Provincia-  
lis Directoris, demum Potentissimo Prussiae Regi a Confiliis  
status secretioribus,

d. 3. Junii 1705. placide defuncti & d. 8. ej. elati,

Superstitem moestissimum Filium

*Generosissimum Dominum*

DN.

**JOHANNEM ADOLPHUM**

ab

**HAUGWITZ,**

alloquitur


D. Joh. Burckh. Freystein.



---

*Dresdae,*

Typis Johannis Riedelii, Typogr. Aulici.







Emo nostrum est, quem non praesens, Tua clades,  
**Generosissime Haugwitzi**, maxime affi-  
ciat, dum vix redux ab exteris & Matre carissima  
& Patre optimo intra bimestre spatium orbaris,  
Nobis illustris Tuæ domus amicis & clientibus a-  
cerba & lacrymabilis utriusque festinata ereptio, Tibi autem eo tristior  
& luctuosior, quod Illius nunc perpetuis sollicitis que pro Tua salute vo-  
tis & Hujus salubribus præceptis destitueris in ipsa hac ætate, quæ non si-  
ne metu & damno parentum cura caret. Sed prævidisse credo divi-  
nam Patris Tui mentem sibi ex humanis discedendum fore, priusquam  
Te in omnes casus instrueret. Quoties equidem mihi ad felicitatem  
primæ familiaritatis admoto annorum ministerii que sui seriem &  
causas rerum à se & aliis in patria gestarum exposuit, toties pene adjecit,  
ut ex his auditis & famam ejus post fata contra invidios obtrectatores  
vindicarem, & Tibi potissimum ostenderem, quæ via Te ingredi vo-  
luerit, quibusve itineribus præcesserit ad summa olim enisus. Quæ  
propter nec vitio mihi vertes, quod defunctum ignavo questu prose-  
qui omittam, potiusque æstimem mandata sua exsequi & desiderium  
Viri Excellentissimi in contemplatione superstitum virtutum solatio  
honesto temperare. Facillime vero relictam Tibi vitæ suæ imaginem  
adumbrabo, si eam ut publicam ut privatum intueor & circumspicio,  
quæ felicitate ad istud aulæ culmen per gradus ascendit, quæ ve vir-  
tute ministerio functus est & exiit. Natales enim suos generosæ de-  
buisse stirpi & vetustissima majorum nobilitate multas insignes famili-  
as complecti ipse ad capeffenda altiora quidem magni sed fortuitum  
censebat, hoc præcipuum Parentis Illustris quondam apud nostros  
Principes Viri munus deprædicans, quod animum ejus liberalibus stu-  
diis perficere non neglexerit & ipsi à teneris infixerit gloriæ stimulos, qui-  
bus dignum se illo & avis præbere parilemque honorem suspirare inci-  
taretur. Eam igitur scientiam in Scholis & Academiis sibi paravit, quæ  
fructum in rerum usus promittit, & quæ sibi met ipsi facturus fortunam  
videbatur. Avidus quoque peregrinandi & externa nosse vidisse que  
alibi, quæ domesticas res aut emendant aut instruunt adspiranti ad rem  
publi-

publi-



publicam ingenio proficuum judicans, Belgium, Galliam, Britanniam & Italiam peragravit & multa, quæ inde placuere, moribus suis miscuit, lingvarum varietate per colloquentium commercium simul accedente. Nec præcipitavit reversus in Patriam spes & vota, nec sibi aliorum in morem imposuit, quod ob Patris claritudinem prætexta sua cunctis jam provinciis par curiisque summis capax esset. Maluit potius tarda cum omnium approbatione, quam præmatura cum invidia, & lubricam potentiam credidit non sua vi, sed sola gratia nixam. Quare juvenis in levioribus primum vires ad ferenda graviora expertus est, cumque Divus Johannes Georgius Secundus indolem ejus honestis copiosam artibus & ad virilem elegantiam compositam amare cœpisset, noster paulo ante Serenissimi Patris mortem in numerum nobilium cubiculariorum receptus non illi tantum obsequio se commendavit, sed & sibi ex aulica consuetudine amicos & civilis prudentiæ copiam conquisivit. Ingruente dein inter Cæsarem & Svecos bello prospiciens, quantum ministro in pace decus, in bello subsidium sit conjunxisse studiis arma, hæc sub exercitu Cæsareo cepit & magister equitum in Pomerania Holsatiaque tanta gloria militavit, ut Summus illius Dux Princeps de Montecuculi eum a se dimittere vix sustinuerit. Sed revocatus ab optimo suo Domino resque ejus in Lusatia superiori procurare jussus impositis sibi partibus deesse noluit, illasque tanta fide peregit, ut ipsum non fallax justitiæ & solertiæ fama ulterius proveheret. Adsumebatur enim a Principe in partem curarum, ut Cameralibus negotiis amplam & sponte naturæ per omnem rerum seriem patentem mentem intenderet, turmæque prætoriæ brevi post præfectus & illi semper proximus & quoties legatus ad externos mittendus esset, paratissimus aderat. Quidpe subito & expedito ingenio inter omnes eminentes in vim negotiorum subtili sagacitate facillime penetrabat & prompta virilique eloquentia validus Regum Principumque animos sibi rebusque suis conciliabat felicissime. Demum statura jam ætate & perspecta Viri robusta longoque usu confirmata prudentia aulæ gubernatio secundaria ipsi delata est, & compertum, quod adultis tunc temporis & prævalidis servitii aulici vitiis non impar esset, omnes tam metu, quam benevolentia in officio continens. Posteaquam vero fortissimus Prin-



cipum Johannes Georgius Tertius in Paternam succedens fortunam sibi ministros seligeret, in quos imperii divideret curas, volitans per omnium haec tenus ora HAUGWITZIUS praecipuo ipsi visus, cui primum inter illos locum tribuere tutissime posset, summum illi aulae moderamen, in sanctiore Senatu votum, & rerum bellicarum directorium committendo. Nec excidit fiducia sua Dominus, cum Noster ubivis munia ministri praestantissimi & boni viri obiret. Peritus enim obsequii nec privatas tantum spes agitans apud ipsum Filiosque Serenissimos constantem sibi & perpetuam efficere gratiam annitebatur libertatis jure in admonendo ita usurpato, ut magis a Dominis permissum quam vindicatum ab eo videretur. Miscebat quoque honesta utilibus & si non suavissima semper optima tamen suadebat ad recta simul ceteros flectens. Quam reverens autem principum tam Patriae studiosus erat, & officio suo tunc demum se credebatur rite fungi, ubi utriusque recte confuleret & hujus connexam cum illis arctissime utilitatem observaret. Cumque nosse rempublicam potissimum in ministro requisitum sit, & ignari provinciae & subditorum novandis quam gerendis rebus aptiores deprehendantur, ipse Noster vires patriae cognitas habens & quid aegrum undique quid validum scientia sua complectens nullibi statum ejus felicem conculcabat, animos hominum fama recti & benefactis ad usus suos adjungendi optime edoctus. Quamvis etiam plurima ipsi juvandi nocendique potentia esset, nec affectibus tamen vacabat nec licentia utebatur, DEum & conscientiam veritus, & aequi semper amans. Quin & invisam ipsi subdola illa caliditas, qua multi pro moribus temporum sub falsa prudentiae specie obscura initia propellunt & obviantes securius evertunt. Nec huc illuc fluctuabat bonum malumque ut aliorum arrogantia fert aestimans, sed ita in aula, in consilio versabatur, ut optimarum partium & esset & existimaretur. Veritatem ubi illi periculum, acerrime asserabat, recti pervicax & constans adversus omnes metus. Non ei promptum in adulationes ingenium & incorrupta libertate istos arguebat, qui veri copiam non faciunt & serviente vultu aut suspensa aut quo ducuntur inclinatura respondent. Nec improsperae sententiae facile auctor, ejusque, ubi necessitas assensum posceret, moderator sapiens. Matura enim prudentia

tia



tia & providebat futura & instantia mala fortissimis remedijs, si non fa-  
talis impediret dispositio, sub movebat, reperto quoque in precipiti &  
lubrico a presenti saepe rerum facie consilio. Calida autem & auda-  
cia, ut ut primo ad spectu læta, oderat, tristem ut plurimum illorum e-  
ventum prospectans & cautis cum ratione magis quam felicibus ex ca-  
su confidens. Publica præterea damna movebant Virum expertissi-  
mum, ut res suas alienasque fortunas spe metuque versare periculosum  
maxime putaret. Nil fere ex sua unius voluntate & placito gerens  
cuncta ad collegia revocabat, nec in iis reliquos ex suo ore sapere ambi-  
vit, nec componi res in modum, quem præscriberet, postulavit. Ne-  
mini meliora, licet diversa, sentienti contradicebat, nec commutabat re-  
cta, ut & sui aliquid adjecisse videretur. Interim fastigium suum  
non ignorans facilitatem ita temperabat, ut gravitatem nunquam de-  
minueret. Visu juxta & auditu venerabilis æquali autoritate & gratia  
penes Principes, reverentia & amore apud pares & inferiores mansit.  
Nec ignarus summo muneri summum laborem deberi, susceptis se-  
mel ingentibus negotiis se totum tradidit, iisque pari vigore animi suffe-  
cit. Primus in aula aderat servitio Principi, postremus discedebat,  
suo exemplo cæteris, quid faciendum esset, præcipiens. In delibe-  
rationibus publicis proposita expediebat prompte, nil in crastinum reji-  
ciendo, nec agendi tempora diesque rerum verbis consumens. In  
bellico consilio maxima ejus erat cura, ut, si quid subitum ingrueret,  
provisâ parataque omnia haberet, com meatum, arma, rerum gerenda-  
rum nervum, & exercitum non tantum turmarum & legionum nume-  
ro speciosum, sed & virtute & disciplina rei militaris bene composi-  
tum. In directione autem provincialis ærarii, quam sapientissimus  
Johannes Georgius quartus ipsi demandaverat, pecuniam in subsidium  
belli conquisitam sanctissime administravit conflatam æris alieni ma-  
gnitudinem minuere & ne graves sumtus justos redditus anteirent soli-  
citus. Ita factum, ut Dominis suis carus, Patriæ utilis, omnibusque  
bonis amabilis esset, maneretque ipsi exeunti vita publica ex dignitate  
munerum priorum & pro ejus meritis & fortuna inconcussa & integra  
autoritas. Qui enim in altum sublatus Illustris Pater Tuus otium  
sapissime optaverat, seque jam à multis annis in medijs occupationibus



dulci delectarat solatio se victurum aliquando sibi, ille ingravescente de-  
mum & exposcente missionem senectute satur gloria à Potentissimo  
Rege nostro dimissus ad iussa Prussici Salomonis Berolinum concessit  
ipsique à Consiliis status secretioribus per aliquod tempus adfuit, donec  
aëris & loci impatiens valetudo, ut rediret in Patriam, postulare visa est.  
Quietissime igitur per triennium & quod excurrit apud nos in secura  
rei innocenter partæ possessione cum paucis & selectis amicis vixit,  
priora recogitans tempora & verissima pensatione præsentia æstu-  
mans, solerti quoque sapius sagacitate futura auguratus. Reliquiis  
autem privatae hujus vitæ Deo potissimum sacrificatis qualis quantumve  
virtute esset frequentissimis documentis comprobavit. Præterea enim,  
quod optimus animus pulcherrimus illius cultus sit, etiam firmissima  
in Salvatore fide, sincera pietate, peccatorum averfatione & precum  
assiduitate placare æternum Numen non intermisit. Cæterum cum  
conjugæ, quam illustrissima Comitum de Dietrichstein familia ortam,  
forma, ætate & excellentissimis animi dotibus florentem jam ante qua-  
draginta annos sibi fortunæ consortem junxerat, in mutua charitate tran-  
quilliter senuit ex ipsius prioris ad superos discessu tanto mœrore confe-  
ctus, ut quinquagesimo post illum die præmissam secutus sit. In Te  
Ascanio suo post quinque liberorum mortes omnis ejus spes & cura,  
Tuamque præstantissimam Sororem illustrissimo Domino Comiti de  
Sintzendorff elocatam tenerrimo affectu prosequēbatur. Cognatorum  
amans eorum fortunam & res promoveri non omittebat, nunquam ta-  
men illis prava indulgens aut alios benemeritos postponens. Fami-  
liam tempestitiva & severitate & liberalitate in obsequio & ordine con-  
tinuit. Omnes vero bonos generoso quodam candore sibi concilians eo-  
rum officia comitate & alloquio provocabat. Et ut ut nimius & velut  
præceps fervor animum ad iracundiam nonnunquam propelleret, hac  
tamen citissime compositâ multa mox specimina benignitatis aderant  
viro nullo furo obducto nec secretis nec diuturnis odiis vacanti. Hinc  
fumos vendere, blanditiisque ambientium spes ducere insolitus & dene-  
gabat statim petentibus iniqua & servabat religiose semel promissa. Jo-  
cos quoque & facetias ea felicitate & gratia miscuit sermonibus, ut nec  
ubi ex vero multum traherent, acerbæ viderentur. Divitiæ moderatæ  
ipsi



ipsi & amicis suffecere. Opum contemptor n̄l in penatibus suis quondam  
venale & sordibus pervium habuerat, nec negotia eo deflexerat, unde il-  
lis incrementum. Convictu quivis liberali fruebatur, intempestiva con-  
vivia & sumtuosæ commestationes procul aberant. Donare sciebat ne-  
scius perdere & collata in innumeros beneficia memorando nunquam  
reddidit ingrata. In suppellectile, habitatione & aliis ornamentis vitæ ele-  
gantiã quæsit, quæ Virum inter ministros primum decet, nec patrimo-  
nium exhaurit. Otium ipsi nullum, siue magnis siue levibus semper in-  
tentus, nec solutus unquam in voluptates sed à curis tantum publicis re-  
missus animus. Corpore quoque annis infirmo ingenium sapientia tam  
robustum retinebat, ut ab ipsius ore pendere omnibus jucundissimum ef-  
set. Intrepidus ad quamvis minantis fortunæ speciem & secunda nullo  
tempore deceptus amplissimam mercedem benefactorū ex conscientia  
petiit. Et cum tot per annos adversus imminentem mortem se optime  
præparasset in ultimo tandem morbo quietus finem vitæ expectabat, ci-  
toque & sine omni pene cruciatu plenus ævi illa digressus & inter vota  
nostra & preces ad cœleste fidelium concilium admissus est. Tradidi hic  
Tibi, **Generosissime Haugwitz,** in Patris beatissimi virtuti-  
bus speculum, ad quod Tuam vitam componas & ornes. Quicquid bo-  
ni fecit, Tibi præcepit & ut animo figas verba & documenta sua meru-  
it. Largissime Tibi fortuna jam indulgit. Habes, quod Martialis inter ju-  
cundissima vitæ refert, rem non partam labore sed relictam, in cujus a-  
bundantia ad Patris votum equestri loco contentus tranquilliter posses  
senescere, oris præterea habitum modestiam & virtutem præferentem,  
animumque, in quo severiori prudentiæ multum vacat. Fac ergo, ut Pa-  
tris fama Tibi perpetua constet & virtuti Tuæ, si non Paterno fastigio  
parem, viri tamen civilis & prudentis dignitatem aliquando debeas. Vir-  
tus enim aterna, divitiarum gloria fragilis. Et quamvis etiam ad has  
tutandas in præsentis subito & improvise libertatis incremento natus  
quasi videaris, illa tamen Tibi insimul sit cordi & credas, prout prima  
nunc cedunt universa dein fore, multisque & fidis manibus felicitatem  
continendam esse. Ultimum autem erit, ut in immutabili hoc Patris  
Tui beatissimi fato lacrymas cohibeas, Deum, quo autore cuncta e-  
veniunt, ejusque voluntatem æquo animo suspiciendo. Effugit ille  
plu-



plurima acta & instantia mala, fruiturque gaudiis caelestibus, nobis sub-  
 terrenis adhuc gementibus ærumnis. Nec exigit, ut sui desiderio Te ma-  
 ceres, sed ut memoriam venereris, eamque magis jucundam quam flebi-  
 lem Tibi efficias. Verissimum enim experimentum Tuæ in Patrem pie-  
 tatis edes, si assidua recordatione Tibi fidem ipsius in Deum & Prin-  
 cipes, æqvitatem, justitiam, candorem, constantiam, fortitudinem &  
 prudentiam repræsentes studeasque ejus virtutes & actus ita exprime-  
 re, ut in Te, quod in magno Patre laudavimus, quod mirati sumus, redire  
 videamus. Mihi ejus merita, dum vita suppetet, æterna erunt, cumque  
 dignam iis defuncto gratiam referre nequeam, recens vulnus ligato ad-  
 minimum epicedio prosequar, quod aliquando inscriptum tanti Viri  
 monumento posteritas legat.

† †

Conditur hoc tumulo  
**FRIEDRICUS ADOLPHUS** ab HAUGWITZ

Saxonica quondam summus Marschallus in aula  
 intimus inde status a consiliis

Sapientem **FRIEDRICO**

Regi Prussorum sceptrum tenenti

Vir justus carusque Deo  
 pietate fideque

Principibus quatuor regnantibus

obsequioso cultu

mente proba

tempestivaque loquendi libertate

bonis & honestis artibus

osor nequitiae contemptor opum rectissima svadens

Acceptus Patriæ

meritis & plebis amore

Omnibus

antiquis & moribus & benefactis

Illustris Coniux

quæ **DIETRICHSTEINIA** nata

excellens animo forma virtutibus

octo lustrorum consors

præcessit ad astra maritum

adjacet illius lateri mox morte secuti

venerat atra dies sexti cum tertia mensis

anni quo subiit **LEOPOLDUS** cœlica regna

isque octo sexaginta jam vixerat annos

Filia quæ Comiti **SINZENDORF** nupta superstes

plangit & ereptum deplorat utrumque Parentem

Filius

hæc monumenta Patri parat amplior hæres

majus & in semet cunctoque perennius ære,

